



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118855

§. 41. Septem Cardinales a Paulo V. purpura decorati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Sæc. XVII. me tempus utriusque Austriæ Proce-
 A. C. 1621. res, Schafftenbergius Starenbergius,
 Wolfgangus & Erasmus a Gera, alii-
 que perduellionis rei sponte compa-
 rentes in custodiam jussu Maximilia-
 ni Bavarix Ducis redigebantur: Lan-
 davio autem, Tschernembelo, Jörge-
 ro, Ungnadio, aliisque profugis bona
 intercepta, atque ærario adjudicata
 fuere, eorum Prædicantibus inde di-
 missis: Joachimus autem Comes de
 Schlick a Saxonis interceptus, Pra-
 gam abducebatur, ac denique Frideri-
 cus Baro de Tieffenbach patria Mora-
 vus, & secta Lutheranus, præcipuus
 seditionis promotor in Lucernensi Pago
 captus, atque a Cæsareis militibus
 Oenipontem abductus, ibidem capite
 plexus est.

§. XLI.

*Septem Cardinales a Paulo V. Pur-
 pura decorati.*

*Cracon. in
 vita Pauli V.
 tom. 4.*

Dum Cæsar Pragæ seditiosam quo-
 rundam impietatem debitis pœ-
 nis ulcisci parabat, interea Paulus V.
 Pontifex die decima quarta Januarii
 Romæ septem Prælatorum merita pu-
 blicis Sacræ Purpuræ honoribus com-
 pensare studebat. Horum primus erat
 Petrus Valerius patria Venetus cele-
 berrimi

berrimi Cardinalis Augustini Valerii Sæc. XVII.
 Nepos. II. Itelius Fridericus Comes A. C. 1621.
 a Zollern Germanus. III. Julius Roma, Nobilis Mediolanensis. IV. Cæsar Gherardus Perusinus. V. Frater Desiderius Scalia Cremonensis ex Sacro Ordine FF. Prædicatorum assumptus. VI. Stephanus Pignatellus, itemdem Perusinus, VII. Augustinus Spinola Patritius Genuensis.

§. XLII.

Paulus V. Pontifex Maximus inopina morte sublatus.

Hos Cardinales Paulus V. Pontifex in Aula Quirinali purpureis quidem pileis ornabat, nulli tamen eorum Ecclesiæ titulum assignare poterat, in tempestiva nimis morte præventus; postquam enim die vigesima Januarii ædem Divo Sebastiano sacram, & post ridie Sanctæ Agnetis Templum religiose lustraverat, mortem suam imminere præfagiens, proximo die ad suum facellum in Exquiliis lectica deferri voluit, ubi proximo die Dominico adhuc rem Divinam peregit, quarto autem post die, vigesimo octavo Januarii sole ad occasum vergente levi lethargo correptus, sacrisque Ecclesiæ Sacramentis munitus, & moriturus jam &

hiul-